

strum] papam et dominos cardinales et nonnullos alios dominos caperent, et si ipsos vel ipsorum aliquem habiliter capere non possent, si miltier vulnerarent et interficerent.

Dixit eciam, quod non dubitabat, quod postquam habuisset in potestate sua prefatum s[anctissimum] d[ominum] n[ostrum] papam et dominos cardinales et certos alios dominos, habuisset eciam in eius potestate castrum sancti Angeli ac eciam deinde secum haberet omnes cives Romanos, et cum ipsis civibus et populo Romano omnia terras et castra in districtu urbis existencia cum omnibus eorum fortaliciis acquireret, et ex post dictum castrum sancti Angeli dirueret, solo coequari fecisset et ad ulteriora processisset secundum temporis et rei exigenciam.

Dixit eciam, quod quamvis tam die iovis quam veneris proxime preteritis, per novos nuncios certificatus fuisset, qualiter eius adventus ad urbem et congregacio armatorum predictorum ad aures s[anctissimi] d[omini] n[ostri] pape pervenisset, et quod ipse et eius complices et sequaces insultati et forte capti et puniti fuissent, quod nihilominus ipse dominus Steph[anus] tamquam desperatus cr[us]tans dictam conspiracionem ad affectum producere, noluit de eius domo recedere nec aufugere, donec supervenerunt officiales urbis et gentes armorum prefati s[anctissimi] d[omini] n[ostri] pape.

Dixit ultimo, quod si dominus noster prefatus expectasset usque ad noctem predictam, clarum erat, quod aut dictum eius propositum adimplisset aut aliquod aliud horrible facinus ordinasset et fecisset.

Cop. alla Civica di Treviri, Cod. 1217 [Numero d'ubicatione 513]: *Liber frat. monasterii b[ea]te Marie in insula prope Valinder* [Vallendar presso Coblenza sul Reno] *ord. canon. regul. Treveren. dyne.* — Venne alla biblioteca nel 1823 da HERMES.

#### 46. Relazione d'un cortigiano sulla congiura di Stefano Porcaro.<sup>1</sup>

Roma, genn. 1453.

Q[uomodo] et qualiter dominus Stephanus de Porcaris miles Romanus cum certo comite, nobilitus et armigeris complicibus et stipendiariis suis papam Nicolaum quintum invadere voluit et esse rex Romanorum, captus fuit et cum pluribus suspensus, quod tunc quidam curtesanus transcripsit in hunc medium.

Rem novam et inauditam quidam miles strenuus Romanus, exul ecclesiae et delegatus de gratia pape ad civitatem Bononiensem propter sua tradimenta, que tempore assumptionis prefati domini nostri pape moderni perpetraverat, tradimentum quoddam nimis horrible et inaudibile propositum, cum quadrigentis de maioribus Romanis atque eciam de potentioribus, eciam cum uno comite iuxta Romam cum X<sup>o</sup><sup>2</sup> armigerorum S. D. N. invadere intendens tractusque suos in civitate Bononiensi ante

<sup>1</sup> Cfr. sopra p. 563, 568, 572, 575, 578, 579, 584, 586.

<sup>2</sup> Cod.: « millibus » due volte.